



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum  
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

**Laymann, Paul**

**Dilingae, 1698**

Capitulum XXIII. Tuis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

ait *Abb. in c. ad audientiam. n. 3. de ijs que vi*: quòd modica coniectura fufficit, ad tollendam præfumptionem renunciationis.

2. Notandum. Ex *o. isto* colligi potest, fi Capitulares à privilegio suo, vel speciali statuto, per Pontificem confirmato, v. g. de certo Canonicorum numero, una vice recesserunt, Pontifex iustam causam contraveniendi habere censetur: ubi adverte, tametsi Papa, qui tale privilegium, vel statuti confirmationem, per quam veluti Jus aliquod acquisitum censetur, personæ, vel communitati concessit, per plenitudinem potestatis suæ possit illi derogare, vel in totum revocare, tamen non facili de causa soleat, quia decet concessum à Principe beneficium esse mansurum, *Reg. 16. in 6.* præsertim, si per tale privilegium, vel statutum, status Ecclesiæ constitutus censetur; veruntamen si ipsimet, quibus concessio facta, recedant, & non omnino servent, tunc etiam Princeps, seu Papa iustam contraveniendi causam habet, partim propter rationem, quæ in textu indicatur, æquum non esse, ut princeps statutum servare teneatur, à quo inferiores, seu subditi recedunt; partim, quia eâ ipsa recessione significant, non adesse necessitatem servandi statuti.

## CAPITULUM XXIII.

## Tuis

## PARAPHRASIS.

Clerici constituti in minoribus tametsi beneficium non obtineant, habentes tamen ex patrimonialibus bonis congruam sustentationem vitæ, ad Sacros Ordines ab Episcopo, si aliud Canonicum impedimentum non obstat, assumi possunt.

Notandum. Clericus in sacris potest ordinari super titulo patrimonij, si id sufficiens sit ad personæ sustentationem. Vide, quæ docui *in c. 4. hoc tit.*

\* \*

## Accedens.

## PARAPHRASIS.

Beneficium Ecclesiasticum Clerico absenti conferri potest, per intermediam personam.

## SUMMARIUM.

1. Beneficium absenti duplici modo conferri potest, vel ut nullo modo interveniat persona media: quo in casu valida quidem est collatio, ex parte conferentis; suspensa tamen manet, dum acceptetur ab eo, cui collatio taliter facta est.
2. Vel conferri potest absenti per intermediam personam, loco absentis acceptantem; quo in casu si persona intermedia acceptans consanguinea v. g. sit, vel utrius negotiorum gestor, valet collatio ex parte conferentis, etiamsi mandatum nullum intervenierit; si alia tamen persona acceptans, extranea v. g. sit, speciale mandatum de beneficio acceptandorequiritur, ut valida sit pro absente collatio.
3. Possunt etiam dua esse verborum forma, si per procuratorem alicui conferatur beneficium; magis tamen in hoc Capitulo commendatur forma, qua in principalem dirigitur collatio, confero v. g. Titio, cuius tu procuratorem magis, beneficium.
4. Potest tamen procurator, qui nomine Clerici in beneficio investitur, esse Laicus.

Pro intellectu adverte, quòd beneficium duobus modis conferri possit absenti. Primum ut nulla persona interveniat: hoc casu collatio valida est ex parte collatoris, ita, ut eam revocare non possit; eatenus autem in suspensio posita, quia nondum jus acquisitum est proviso, donec is sciens acceptarit. *c. si tibi absenti 17. hoc tit. in 6.* Et procedit hæc doctrina in omni electione, aut